

peculiares accederent, breuiter etiam nunc attingendae.

§. III. Fuerant enim principibus in Germania familiis non statim hereditaria iura, decoris atque splendoris gentilitii firmissima stabilimenta (f), sed domus, quae nunc per genitoris virtutem stabat, florebatque, desidia filii mox ad lapsum praecipua facta, subito etiam casu saepius iterum ruebat. Qua rerum inconstantia & mutabilitate, & cum nulla fortunae praesidia auitis imaginibus inessent; neque harum multitudine, successuque historiam condere, operae peculiaris pretium videbatur. Deinde, cognominibus nondum in Germania inuentis, (g) aut in aliquo familiae genere perpetuo non manentibus,

P p p 2

bus, in causis bellorum dissidiorumque, in legibus ac iudiciis, reique publicae consiliis tot ubique lacunas habemus, quas nulla hominum industria supplebit. Adeo imperialia negotia posthabita sunt clericalibus crepundiis.

(f) Historia non quaeuis negotia digna sunt, sed illa tantum, quae prudentiae acuendae aliquod adferunt momentum. Contempserunt veteres historiolas, quoties princeps vestem mutauerit, quo tempore iuerit cubitum, quam amauerit puellam, quae conuiuia parauerit, & quae sunt eiusmodi. Quae stultitia Cordi, & Galliae Italiaeque fabulatorum, qui sub memoriis rerum anecdotarum patriae nostrae vendunt vel nugarum, vel mendaciorum quisquillas. Prudentiores Herodotus, Siculus, Iustinus, qui Assyriae regum ante Ninum memoriam intermiserunt, quod regimen eorum versaretur in rebus leuidentibus. Ex eadem illi causa Assyriacorum quoque monarcharum post Niniam aeterna nocte sepultam memoriam voluerunt, quos operae pretium non est, hodieque in historiis desiderare. Vsum vero otiosarum genealogiarum, quem hodie in successione feudisque habemus, veteres ignorarunt.

(g) Duo familiarum sustentacula sunt: Vnum insignia *heraldica*, alterum *cognomina*. Neutrum in usu fuit medio aeuo. Non *primum*, quia in cuiusuis arbitrato quondam fuit, clypeum aliquo figurae genere distinguere. Quapropter insignia vni genti varia fuerunt, atque multiplicia pro lubitu & licentia cuiusque. Neque *alterum*. Quamuis enim sex imperii ducatus a temporibus Cunradi I. stabiles essent ac hereditarii: reliquae tamen imperii dignitates, comitum, equitumque, personales fuere, minusque perpetuae, instar nostri
aeui